

num punire licuisset.

Ostenditur hoc idem ex multitudi-
ne auxiliorū, quæ dñs legē euangelicā
tenere canantibus impertitur. Siquidē
onus in se graue Ieuantibus leue reddi-
tur, si auxiliorum multitudine sustentat-
ur. Maior equidē adiutrix gratia nūc,
quam olim in lege fidelibus confertur.
Clarior doctrina, efficaciora exempla,
atq; maiora, ac certiora promissa. Ma-
ior gratia, quia vt tangit Scotus in 3.
dist. vlt. & distinctio. 19. eiusdem. Pas-
sio Christi exhibitā plus meretur illis,
qui nunc credunt eam exhibitam,
quam ipsa exhibenda meruit, qui cre-
diderunt eam vt exhibendam, propter
quod & nostra sacramenta, quæ ha-
bent efficaciam in virtute passionis
Christi iam exhibitæ plus cōferunt de
gratia, quam sacramenta vete. legis. Plu-
ra quoq; habemus sacramenta nouæ le-
gis gratiam conferentia, quam fuerūt
in lege veteri, quoniam in veteri lege
præter matrimoniū si tamen fuerit eis
sacramentum, nullum fuit sacramentū
nisi circumcisio, & hæc in remediū tā-
tum originalis peccati. Post recidiua-
tionem si poterant mereri, de congruo
aliā gratiā motu proprio, bene quidē,
sed ad gratiā tūc percipiendā nullū fuit sa-
cramentum tunc apud eos institutum.
Siquidem sacramentū Penitentia non
habuerunt, nec aliud sacramentum lo-
co eius ex opere operato gratiam conse-
rent. Nam omnia sacrificia, & veteris
testamenti sacramenta gratiam signifi-
cabant, non tamen conferebant, vt di-
citur 4. sententiā di. 1. Et apostolus ad
dorū & Rom. 3. Ex opibus legis nō iustificatur
creden- omnis caro. Et ad Gal. 3. ad idē loquit-
dorum Habemus deniq; nunc & agendorum,
nō & credendorum, & sperandorū doctri-
na explici- nam clarā, & explicitam, quā in lege
ta. non habuerunt nisi velatam, & sub vm-
bra. Nā vmbra habuit lex futurorū bo-
norum, ad Hebr. 10. Ad cuius signifi-
cationem Moyses velamen faciei suæ
superposuit, vt non intenderent filij
Israel in eam, vt habetur 2. Cor. 3. De
Christo autem autore legis euangelicæ
aiunt apostoli. Ecce nunc palā loqueris

& prouerbiū nullum dicis &c. Ioan
16. Sed magnam facilitatē contert ope-
ranti clara cognitio eorum, quæ opera-
tur, modo operandi & finis, vt manife-
stum est. Ideo de sine dicit. Per quod
cognitio eius ad vitam .i. virtuosam
magnum incrementum in prologo
Ethicorum. ca. 21.

Habemus & exempla sanctorū plu-
ra, & ad imitandum efficaciora, plura
quoq; merita eorum, qui non tantum
meruerunt sibi, sed & nobis, qua præ-
eorum præcibus, & meritis multiplici-
ter adiuuamur apud Deum. De primo
beatus Augustinus in de doctrina chri-
stiana. Considera quot milia certam
tibi fecerunt viam, transierunt virgi-
nes, transierunt martyres, transierunt
pueri & puellæ. Facilius autē via itur,
quæ à multis transitur. De secundū ha-
te loquitur beatus Bernard. in sermone.
5. de omnibus sanctis. Et in sermone
de vigilia apostolorum Petri, & Pauli.
Quam potentiores inquit, sunt in cæ-
lis, qui tam potentes sunt in terris. Et
sermone 2. de sancto Malachia ait. Eius
feruentissima charitas æquit obliui-
sci filiorum, & probata sanctitas obti-
net gratiam apud Deum. Habemus
etiam maiora promissa, & certiora.
Nam obseruantibus legem Christi pro-
mittitur æterna vita explicite, sed exi-
stentibus sub lege Moysi, bona tempo-
ralia, nunquam explicite vita æterna,
vnde Aug. super plal. 34. In veteri te-
stamento promissiones sunt rerum ter-
renarum, in nouo autē regni cælorū &c.
quæ sequuntur. Sed secundū Greg. con-
sideratio premij minuit vim flagelli, &
in certamine percussiones mitigat spes
coronæ. Hanc autem promissionem cer-
tam nobis facit Christi resurrectio à
mortuis, sicut arguit apostolus. 1. Cor.
15. & magnū illud pignus futuræ glo-
riæ præciosissimum corporis, & sangui-
nis sui sacramentum, vt canit ecclesiā,
sed & pignus spiritus sancti, sicut dicit
apostolus. 2. Cor. 5. quo pignore de im-
mortalitate certus sumus, dicit glo. Con-
feratur nunc si placet cuiuscunque
patris familias, etiam clementissimi +

Exem-
pla san-
ctorum
sunt effi-
cacia ad
imitatio-
nem.